

Die dicta (18 februarii 1677 ab incarnatione) associatus a militibus equestribus (CAROLUS PHILIPPUS SFONDRATUS episcopus volaterranus) pervenit ad Terram Bibbonae, ubi fuit de more exceptus, et ingressus ecclesiam facta absolute motuorum tam in ea, quam in cemeterio in quo sunt appendendae cruces, cancellum claudendum cum ostio: visitavit SS.Eucharistiae Sacramentum asservatum in pisside deauratam licet ex aurichalco, operta conopeo decenti, in tabernaculo intus ornato, in medio altaris clauso sera et clavi ferrea.

Vidit fontem baptismalem marmoreum non bipartitum, in quo est interponenda lamina stamnea, ut aqua quae defluxit a capite infantis per foramen aqueductus ex plumbo proiciatur in piscinam. Imago divi Joannis baptistae Christum baptizantis est in muro depicta. Deficit autem tentorium et cancellum. Olea sacra asservantur in vase stamneo bipartito sicut sal exorcizatum in alio vase simili. Et custodiuntur cum cratere stamneo in tabernaculo a latere evangelii extra non ornato: marsupium autem est mutandum. Oleum infirmorum asservatur in tabernaculo a cornu evangelii prope altare in vase ex auricalco. Desideratur marsupium decens, et quod extrinsecus ornetur.

Vidit altare maius super quod adest ciborium marmoreum, prout est unus gradus distinctus in alios duos. Duo sunt candelabra ex auricalco prout totidem ex ligno aurolito, prout est crux. Sacrum Convivium subpedaneum pallium et tobaleae bene se habentur; deficientibus consuetis tabellis, vela cerata in sacro lapide et operimento super tobaleas apponendo.

Fit festum S.Hilarii titularis cum tot missis, comprehensa decantata quot sacerdotes haberi possunt, expensis dicti plebani. Fit etiam festum S.Bartholomei prout supra expensis Comunitatis.

Onera sunt habendi unum offitium semel in anno pro anima Antilii Casabianca a plebano cum sacerdotibus qui sunt in loco. Aliud pro anima mulieris Alexandrae, nuncupatae La Bernardina, a plebano. Aliud et 11 Missae de Requiem, quae dici debent semel in mense, pro anima Jacobae Antonii Gori, a plebano.

At cum sero esset, aeris inclementia movit Illustrissimum Dominum ad se conferendum domum, ubi, ne frustra tereretur tempus, visitavit personaliter Reved.Domin. Victorium de Gasparruccis economum ecclesiae Beatissimae virginis nuncupatae della Pietà, extra et prope hoc castrum Qui de mense Julii anni 1646 Deo renatus fuit in sacro fonte ecclesiae parochialis loci de Sassetta Massanae Diocesis, eius compatre Rocco de Scalocchis dicti loci.

Mortui~~a~~ parentibus, unum habet fratrem superstitem, qui est Praepositus ecclesiae de Guardistallo, cum quo vivit Franciscus eorum nepos, et Lucretia uxor dicti Francisci, ipse autem continuo residet in hoc loco Bibbonae. Die festo in honorem SS. Jacobi et Annae promotus fuit ab Illustrissimo Domino Accarisio suo episcopo originario de anno 1670 ad titulum patrimonii sibi, ut asseritur, constituti in bonis positus in dicto Comuni Sassettae annuis fructibus pro parte dominica scutorum 20 circiter. Fuit ab Illustrissimo Domino Episcopo Visitatore de mense novembris electus economus in spiritualibus et temporalibus ecclesiae Beatissimae Virginis nuncupatae della Pietà quae olim a regularibus recta in vim decreti ac brevis apostolici editi sub Innocentio papa. Xⁱ fuit suppressa et erecta in beneficium regendum per sacerdotem saecularem ad nutum Illustrissimi Domini Ordinarii Volaterrani de anno 1653. Quae onera sint sibi uti economo seu rectori dictae ecclesiae ignorat, cum non habuerit ullum librum, in quo sint adnotata, aut aliam scritturam pertinentem ad dictam ecclesiam,] uti sibi non restituta a Rev. P. Petro de Blanchis Ordinis Heremitarum S. Augustini, qui usque ad dictum tempus mensis Novembris elapsi rexit hanc ecclesiam, et ideo non satis fecit, nisi quod quaque die tertia Dominica mensis habuit Sacrum et Processionem cum Vesperis de more. Redditus dictae ecclesiae, attenta determinatione ipsius, ascendunt ad summam scutorum 30 circiter. Inventarium bonorum mobilium ostensum est, non autem immobilium, quia deficit Cartulare retentum, prout opinatur, penes dictum R. P. de Blanchis. Residet iugiter domi positae in castro, non autem in illa quae est contermina dictae ecclesiae, utpote pene diruta et inhabitabile.

A die quo fuit deputatus economus nullum ius amisit dictae ecclesiae in qua occasione funeralium Rector pro tempore eiusdem agit munia parochialia recipiens ab iis qui habent sepulcra in dicta ecclesia libras 4 | pro taxa quaque vice et medietatem cerae quae sit accensa, altera vero medietas pertinet ad Dominum Plebanum, qui associat una cum dicto Rectore cadaver usque ad ianuam dictae ecclesiae, quam ingreditur Rector, et peragit munia ut supra stola indutus. Non habet librum introitus et exitus bonorum dictae ecclesiae, quem habebit, et de mense decembris quotannis ~~xxdix~~ ad Dominationem Suam Illustrissimam transmittet. Jussum est illi quatenus non locet in afflictum ulla bona dictae ecclesiae, nisi praevia (licentia). Non habet Sacram Scritturam, nec Concilium Tridentinum, quos emet, illisque et aliis studebit ut Congregationi pro casibus conscientiae discutiendis habendae possit

praesto esse. Ex devotione et non ex obligatione cori servitium praestat. Venationi ludisve non incumbit, canem unum venatorium alit quod illi fuit prohibitum. Inservit sibi ancilla bonae famae aetatis annorum 50. Munus provveditoris tutorisve non exercet, sed illud tamen ludi literarii magistri, et sine licentia, quae sicut concedetur ita fuit in eum graviter verbis animadversum eo quod sine licentia id egerit. Vestem talarem non induit quia non habet, sed quantocius illam emet et gestabit una cum pallio quod debebit habere diebus tantum dominicis.

Io P.Vettorio Guasparrucci prometto l'osservanza de precetti sopra fattimi et in fede mano propria.

Visitavit personaliter Rev.Clericum Franciscum quondam Anastasiu de Adessis huius loci, qui ortus fuit die 23 Januarii anno 1656, sacro fonte renatus in ecclesia parochiali Bibbonae, eius compatre Mario gregum custode. Mortuo eius patre, superstitem habet matrem nomine Mariam, ac sororem nomine Barbaram, quibuscum in hoc loco commoratur. Est constitutus in ordine lectoratur novissime sabato 4 temporum quadragesimae sibi collato ab Illustrissimo Domino Episcopo Volaterrano. Non habet benefitium ullum sive simplex sive curatum. Artibus liberalibus vacat, docente R.D.Victorio Gasparruccio; ter in anno comunicatur, illique iussum est quatenus bis in mense id peragat ministrante Sacramentum Confessionis R.D.Victorio Gasparruccio, sicuti quatenus iugiter incedat indutus veste talari quando commoratur in castro; praestet servitium debitum coro huius ecclesiae parochialis et alia agat quae ad clericum spectant.

Die 20 dicti mane diluculo visitavit Altare a cornu evangelii sub titulo S.Caroli, quod non confertur in titulum. Cuius altaris icon Divum ~~Carolus~~ Carolum orantem exhibet eam adhuc spirantem humilitatem quam semper, uti in gentilitio stemmate, ita habuit in corde: minime etenim ne quidem ornamentum in icone praesefert: licet D.Joseph de Joannettis bona possidens utpote haeres de Familia dicta de Montelupis possit et teneatur maiorem cultum, et reverentiam erga hunc Sanctum exhibere. Doluit summopere Ill.mus et Rev.mus Dominus quod nec dicti gradus qui unus est et ligneus pedi crucis sine Crucifixo et Cruci, sacro lapide sine tela, subpedaneo vetustissimo et fracto, desit etiam satisfactio oneris ter in hebdomada celebrandi pro Jacobo Montelupio testatore. Quamobrem iussum fuit districte ut impleantur onera quamprimum, rationesque adducantur cur in possessione bonorum implendo onera fuerint omnino relictæ.

Erectio huius altaris fuit facta ab eodem Montelupio ut patet ex testamento facto anno 1621 die 21 Martii ex rogitu ser Donati de Tom(masi)nis notarii Montopolitani. Sex sunt candelabra ex auricalco sordida nigra. Suprascriptum testamentum, rogatum ut supra, fuit conditum a Domino Jacobo Matthaëi de Montelupis a Bibbona, in quo vigore legati gravavit Dominicum et Carolum eius filios haeredes aequis portionibus institutos, et Orinthiam eius uxorem usufructuariam, ad celebrari faciendum in hoc Altare annuatim et in perpetuum ter in qualibet hebdomada tribus diebus distinctis, quarum una celebranda die lunae non impedita sit de Requie, contribuentibus propterea usufructuaria et haeredibus simul de elemosina et annua et perpetua ad favorem sacerdotum huiusmodi missas celebrantium, cum facultate tamen concessa haeredibus et usufructuariae simul assignandi dictis sacerdotibus ut supra celebrantibus redditum continuum et perpetuum in tot bonis stabilibus cautis et liberis vel in tot locis Montium vel quovis alio modo, dummodo effectus sit quod constituatur redditus sufficiens pro huiusmodi celebratione, gravando conscientiam haeredum et usufructuariae. At quia huiusmodi investitio non fuit sequuta, mortuisque haeredibus et usufructuaria, bona dicti testatoris pervenerunt ad manus plurium, occasione emptionis aut alio modo. Ideo Dominus Horatius de Joannettis uti emptor partis bonorum dicti testatoris posite in hoc Comuni satisfieri curavit dicto oneri prout etiam Joseph eius filius qui paucis abhinc annis reliquit huiusmodi onus sine debita illius satisfactione opinans se non teneri, cum emptio facta ad favorem dicti sui patris sequuta sit libera, teneanturque alii qui causam habeant a dictis haeredibus et usufructuaria, qui non curaverunt reinvestmentum predictum facere, et quibus principaliter fuit a testatore demandatum hoc onus. Super hoc Illustrissimus Dominus sibi reservavit congruum tempus, quicquid fuerit melius declaraturus prout de iure. Inventarium ostensum minime fuit. In Altare deficiunt Sacrum Convivium, et duae tabellae.

Visitavit Altare Sanctissimi Rosarii, in quo est erecta Societas sine Breve Aggregationis, licet describantur utriusque sexus fideles. Altaris icon repraesentat Beatissimam Virginem cum puerulo Jesu exhibente Divo Hyacintho Rosarium a latere epistolae, et a cornu evangelii D. Dominicum cui exhibitur Rosarium a Beatissima Virgine. Sex sunt candelabra ex auricalcho, prout est crux; quatuor flores pervenusti. In omni eius ornam~~ento~~to bene se habet, deficientibus

duabus tabellis, tela cerata in sacro lapide, et duobus operimentis. Adest onus ex consuetudine celebrandi semel in mense in primis Dominicis a Domino Plebano, cui a camerario dictae Societatis solvitur elemosina librarum 2 quaque vice. Officium unum pro anima Joannis Menichelli cum sacerdotibus loci vigore legati dicti Joannis, in quo reliquit scutos triginta conversos in emptione census impositi, et venditi huic altari a Blasio de Adessis sub fideiussione Alamanni de Manninis.

At quia utriusque haereditas evasit non solvens, ideo Antonius Franciscus de Manninis sub fideiussione et generali obligatione D. Barnardini de Brunacchiis, licet assereret se non teneri, nichilominus, ne mens testatoris fraudaretur, se obligavit solvere ex huiusmodi causa scuta vigintiquinque in termino octo annorum, videlicet quolibet anno ratam, ut apparet ex actis novissimae visitationis factae die prima Maii 1674. Usque modo non fuit impleta dicta obligatio, et ideo oneri non satisfit. Depositarius ad recipiendam summam dictorum scutorum 25 deputatus fuit Dominus ~~Abbas de~~ Virgilius de Federighis. Quo defuncto electus fuit D. Abbas de Federighis eius frater ad hoc ut recipiat, ad effectum constituendi de eis annum perpetuum censum, summam solvendam per dictos de Manninis, et de Brunacchiis, contra quos in solidum Ill. mus Dominus Episcopus Visitator ex capite non soluti concessit, et relaxavit mandatum executivum in formam pro summa per eos usque modo debita et pro quantitate aequiparante summam debitam pro officiis non celebratis spatio dictorum 4 annorum.

Ante altare pendet lampas ex auricalcho ardens ex elemosinis, et ex oleo quod recolligitur ab uno petio terrae relicto huic Societati a Dominico de Lazzaris, posito in Comuni loco dicto "a S. Giovanni" et ad praesens exculpto a Pasquino Joannis.

Dominus Plebanus eligit Priorissam, quae est ad praesens D. Lucilla de Brunacchis, die prima dominica Octobris, qua solemniter celebratur Festum SS. Rosarii. Quod recitatur ter in hebdomada, scilicet die Mercurii, Veneris, et Dominicae. Altare non habet aliud introitum neque exitum, et regitur ~~ex~~ ex elemosinis, quae colliguntur tum in capsula, cum a muliere, quae Castrum circumit, et non describuntur in libro. Inventarium non fuit ostensum; iussumque fuit deferri. Sacra indumenta necessaria pro Missae celebratione desumuntur a Sacristia, cum propria huius Altaris non adsint.

Visitavit Altare sub titulo SS. Nominis Jesu, annexum altari SS. Rosarii in quo celebratur qualibet secunda Dominica mensis a ~~domino~~ Domino

Plebano accepta elemosina a camerario dictae Societatis. Icon Altaris exhibet in medio SS.mum Nomen Jesu, a cornu evangelii Divum Hilarium et a latere epistolae Divum Bartholomeum. In mensa eiusdem sunt 4 candelabra marmorea, prout est pes crucis; et in omni eius ornatu bene se habet, deficientibus tamen tela cerata, duobus operimentis et Sacro Convivio ac duabus tabellis, et subpedaneo ~~perventum~~ perrupto. Non habet introitus, et regitur a Confratribus Societatis SS.Rosarii. Inventarium non fuit ostensum.

Visitavit Altare sub titulo S.Antonii Patavini, cuius imago est in icone a cornu evangelii, a latere vero epistolae est illa Divi Josephi, et in medio Beatissimae Virginis cum puerulo Jesu.

Altare est ita comptum et decoratum ut nichil possit desiderari, deficientibus tamen tabella lotionis manuum, tela cerata in sacro lapide ac solitis operimentis. Fuit erectum ex dispositione testamentaria Bartolomeae Giannettae ad cuius mentem fuit pariter erecta perpetua simplex cappellania sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis, cuius est rector admodum reverendus dominus Abbas Horatius de Federighis provisos auctoritate ordinaria. Jus patronatus asseritur pertinere ad familiam ~~diakonorum~~ Dominorum de Federighis. Onera rectoris sunt habendi semel in qualibet hebdomada Sacrum pro anima dictae testatricis ad libitum rectoris, et pariter celebrandi Festum Assumptioni Beatissima Virginis Mariae et S.Antonii Patavini cum tot sacerdotibus quot sunt in loco, quibus satisfacit dictus Dominus Abbas nunc de per se. Redditus dictae cappellaniae ascendit ad annuam summam scutorum 30 circiter, qui retrahuntur ex fructibus bonorum describendorum et in inventario quod non fuit ostensum. Quae omnia ex fundatione eiusdem cappellaniae clarius patent, in ipsis siquidem sic habentur.

Visitavit Altare ~~SS.~~ sub titulo SS.mi Crucifixi, qui pendet in cruce, et in extremitate iconis ardent piae animae purgantes. In mensa altaris sunt quatuor candelabra ex auricalcho; crux lignea auro aliquantulum lita cum pede marmoreo. Sacrum Convivium, tobaleae et alii ornatus, licet sit nudum, et ornamentis viduatum, bene se habent; deficientibus consuetis tabellis, tela cerata in sacro lapide, duobus operimentis, et aliquibus floribus et vasibus apponendis in gradibus lateritiis. Non confertur in titulum, sed adest onus celebrandi semel in mense sub ritu de Requie pro anima Domini Hipoliti de Federighis per Dominum Plebanum, cum, ~~procruxifixi~~ prout asseritur, fuerit a dicto D.Hipolito relictum huic ecclesiae petium terrae, quod ab ecclesia

possidetur, positum in planitie Bibbonae, loco dicto "il Travertino". Dominus Abbas Horatius de Federighis pro exoneratione suae conscientiae asseruitse reperisse chirographum in quo D.Hipolitus eius pater se constituit debitorem librarum 100 quas est promptus solvere ad effectum illas erogandi in usus pro ornatu dicti Altaris Dominationi Suae Illustrissimae bene visos. Asseruit pariter Catharinam quondam Petri, dicta "la Bussottina", reliquissa huic altari duas mansiones positas in castro in loco dicto "il Chiassone" quae post obitum Aureliae Bussotti eius matris ad hoc Altare devolventur. Deposuit insuper esse piam personam quae ex motivo devotionis cupit custodire hoc Altare, et in eo celebrari facere sex Missas in quolibet anno pro Animis Purgantibus, describendo elemosinas quae recolligentur in Libro iuxta formam ab Ill.mo Domino Episcopo Visitatore sibi tradendam. Visitavit Corpus Ecclesiae, quae in parietibus male se habet, praecipue a latere epistolae supra portam a sinistris ingressus; in pavimento autem et tecto bene; non autem omnino, praesertim pavimentum et tectum praecipue super Altare SS.mi Nominis Jesu. Sedes confessionalis desiderat velum in fenestella, ac pias imagines in locis poenitentis. Alia sedes por(tati)va in alio meliori loco ponatur et aptetur ad formam. Quatuor sunt sepulchra, in quibus parvuli, mares, foeminae, et sacerdotes indifferenter et separatim humanantur.

Vidit Corum, quod deservit pro Sacristia, et in eo deficiunt omnes libri pro Cantu Gregoriano, Martyrologium, tabella pro signandis horis, ferrea instrumenta pro conficiendis Ostiis. Adest Superhumale, Rituale Romanum, umbella restauranda, et baldacchinum. Capsula ad instar sepulchri pro feria quinta in Cena Domini est aperta, et desideratur undique clausa cum sua sera et clavi. Ostensorium ex auricalcho auro litum pro exponendo SS.mo Sacramento est decens, et recenter provisum. Baldacchinum pro eo exponendo dicitur pertinere ad Societatem Divi Rocci. Pluviale bene se habet cum quo, et cum pluribus funalibus et cereis, expensis Societatis SS.Corporis Cristi et pariter alterius sub titulo S.Sebastiani, D.Plebanus, accedente Rectore Ecclesiae BMV nuncupatae della Pietà, habetur processio die festo in honore SS.mi Corporis Cristi. Vesperae non omnibus diebus festis et dominicis solemniter habentur, nec Missae prout iussum est.

Tres sunt campanae in campanile. Quotidie non datur sonitus ~~per~~ pro agonizantibus hora ~~tertia~~ .23., nec Salutationis Angelicae mane diluculo, nec hora prima noctis datur signum festi subsequentis,

nec habetur ~~lignum~~ instrumentum ligneum, quod tempore heddoma^{da}e sanctae pulsetur. Per Corum itur ad locum in quo adest Horologium. Deficit praeparatorium et genuflexorium pro sacerdotibus celebraturis. Exhibitum fuit inventarium cum quo fuerunt revisa omnia utensilia ~~in~~ in eo descripta; et bene se habent, praeter quam duas planetas, unam coloris nigri, et alteram coloris albi. Inventarium immobilium non fuit exhibitum.

ECCLESIA B.M.V. DELLA PIETA'

Processit successive ad visitandam ecclesiam B.M.V. nuncupatae "della Pietà", quae prius regebatur a RR.PP.Ordinis Carmelitarum. Fuit autem de anno 1653 suppressa per vim Bullae Innocentii papae X. et erecta in simplex beneficium regendum per sacerdotem saecularem. Cuius ad presens est economus, rectore proprio etenim vacat, R.D. Victorius Gasparruccius provisus mensibus nuper elapsis ab Ill.mo D.no Episcopo Visitatore. Et facta absolute motuorum tam in ecclesia quam in coemeterio eidem contermino, licet non habeat formam cemeterii: deficiunt enim cruces, illud non est undique vallatum muris aut instrumentis ligneis, immo ad illud patet omnibus liber accessus. Visitavit Altare Maius in cuius medio in tabernaculo ligneo veste serica obducto adest piissima imago Christi Domini a sua SS.ma Matre deploratum superiusque est ciborium marmoreum sicuti est totum ornamentum Altaris in quo sunt sex vasa lignea deaurata et totidem flores et sex candelabra ex auricalcho.]Altare est totum marmoreum et dicitur totum consecratum fuitque a Francisco Fornellio sub auspiciis D.Hipoliti de Federighis de anno 1665 ita decoratum ut patet ex litteris impressis in marmore sub mensa Altaris, quod in omnibus bene se habet praeter quam in duabus tabellis operimento et tela super sacrum lapidem. Adsunt onera celebrandi sex Missas annuatim pro anima D.Hipoliti de Federighis qui ob id reliquit petium terrae loco dicto "il Chiusino del Gatto" ultra quod D.Horatius eius filius asseruit se et D.Virgilium eius fratrem reliquisse huic ecclesiae aliud petium terrae suprascripto conterminum. Aliam Missam de Requite quolibet anno pro anima Petri Joannelli qui, prout asseritur, petium terrae laborativae loco dicto "il Gorgo" huic ecclesiae reliquit. Festum S.Bernardini Senensis cum omnibus sacerdotibus dicti castri pro anima Alexandri Nencini solventibus eius haeredibus nempe Antonio Francisco et Nicolao de Manninis sextaria tria frumenti rectori huius ecclesiae. Item celebrandi omnibus diebus dominicis. Quibus oneribus fuit satisfactum, et R.D.

Victorius satisfactionem describet in Libro. Adest onus etiam habendi festum solemner die prima post Penthecostem, et Resurrectionem DNJC quibus diebus detegitur imago Beatissimae Virginis superius recensita. Visitavit Altare sub titulo sanctorum Blasii et Caterinae a cornu evangelii quod asseritur fuisse erectum a quondam Blasio de Adessis cuius est filius superstes R.Clericus Franciscus, et hic dicitur nichil habere de hereditate dicti sui patris. Icon exhibet in medio Beatissimam Virginem cum puerulo Jesu, a cornu evangelii Divum Blasium et a latere epistolae Divam Catarinam Alexandriae, et est ornamento ligneo aurolito decoratum, prout sunt candelabra. In reliquis est omnino nudum et prope interdictum; esset tamen pia persona quae, si posset habere ius patronatus dicti Altaris, illud custodiret et ornaret.

Visitavit Altare sub titulo SS.mae Annuntiatae quod supra annos 40 fuit erectum a D.Hipolito de Federighis, eiusque icon exhibet a latere D.Cirillum et ab alio D.Antonium Abbatem et in medio Annuntiationem Beatissimae Virginis. Est decoratum ornamento ligneo perpulcro, unus est gradus lateritius depictus, 4 sunt candelabra lignea prout est crux, 4 vasa testacea et totidem flores. Sacrum Convivium bene se habet, idemque altare ita habetur in eius hornatū, deficientibus tamen solitis tabellis operimentis et tela cerata. Domini de Federighis ex devotione, ut asseritur, Sacrum haberi faciunt semel in qualibet heddomada per rectorem huius ecclesiae cui ob id solvunt annuos scutos quinque. Inventarium rerum huius ecclesiae apparet in inventario generali huius ecclesiae.

Visitavit Altare sub titulo Beatissimae Virginis de Monte Carmelo, quod fuit erectum de anno 1650 a Societate Beatissimae Virginis de Monte Carmelo ut patet ex lapide marmoreo subtus altare collocato. Nulla adest cappellania in eo erecta licet quaque die tertia Dominica officietur per R.D.Rectorem erogata sibi elemosina a D.Horatio de Gardinis qui in praesens sibi hoc onus pietatis ergo suscepit solvens libras 2 pro qualibet Missa. Item Missae decem pro anima Sabatini Pellegrini qui reliquit duas boves consignatas dicto Domino de Gardinis, quae ad praesens sunt multiplicata eiusdem specialia supra recensita in numero 4 comprehenso iuvenco vendito Dominico Casabianchi, qui asseruit illud emisse pretio scutorum 15 et solvere fructus recompensativos ad rationem scutorum 6 pro quolibet 100, et anno. Idem Dominus de Gardinis annotavit in liberculo introitum et exitum occasione fructuum dictarum bestiarum et melius promisit se descripturum. In eodem Altare est erecta Societas Beatissimae Virginis de Monte Carmelo, cuius Breve Aggregationis asseritu

fuisse expeditum Romae die 16 Junii 1666, ut patet ex actis novissimae visitationis actae de anno 1674. Amplius non describuntur fideles utriusque sexus prout desideratur, fuitque data monitio. Alios redditus ultra suprascriptos non habet. Dictum tamen fuit Joannam Baptistam de Corsis reliquisse certum redditum annum huic Societati, licet pro certo non habeatur, immo plures asseruerunt R.P. Petrum de Blanchis exegisse redditum decursum pro duobus annis. Impositum fuit mihi cancellario quatenus darem licteras directas domino Archipresbitero Gambassii ut ad solutionem cogat quosdam commorantes in dicto loco Regitur ex elemosinis quae colliguntur in capsula asservata penes dictum D. Horatium de Gardinis camerarium, qui nulli reddit rationem suae administrationis. Habetur solemniter tertia die Dominica Julii in honorem Beatissimae Virginis de Monte Carmelo per Rectorem; cui solvuntur libre 3 quaque vice. Icon exhibet in medio Beatissimam Virginem velo serico obductam cum puerulo Jesu, a cornu epistolae Divum Cirillum et a latere evangelii D. Simonem Anglicum, et est aliququaliter lacerum; in omni ornatu bene se habet praeter quam in duabus tabellis quae deficiunt prout operimentum et tela cerata.

Visitavit Altare sub titulo S. Bartholomei, quod a D. Bartholomeo de Gardinis supra 30 annos fuit erectum. Non confertur in titulum, sed ex consuetudine ac motivo devotionis familia Dominorum de Gardinis celebrari faciunt Sacrum semel in heddomada per rectorem huius ecclesiae cui solvunt annuos scutos quinque. Fit festum Divi Bartholomaei cum tot Missis quot haberi possunt expensis Dominorum de Gardinis, qui unicuique sacerdoti celebranti solvunt libram unam denariorum ac Rector libras 2 ultra summam debitam pro assignatione cerae. Fit etiam festum Divi Stephani, pro quo relictum fuit petium terrae situm in loco dicto "sul Ponte" contermino torrenti prope Viam quae ducit ad locum Campiliae et possidetur a rectore huius ecclesiae. Icon Altaris exhibet in medio Beatissima Virginem cum puerulo Jesu, a cornu evangelii Divum Bartholomeum, et a latere epistolae Divos Roccum et Sebastianum. Altare in omnibus bene se habet; desunt tamen tela cerata, duo operimenta, Sacrum Convivium decens et duae tabellae.

Visitavit Altare Heliae, cuius icon est decrustatum, gradus unus lateritius, duo candelabra lignea, prout est crux. In tobaleis et sacra mensa est optime comptum. Desunt tamen Sacrum Convivium, consuetae tabellae, operimenta, et tela cerata in sacro lapide.

Erecta fuit a Juliano de Adessis de anno 1637 Heliae ascendentem in celum, ut ex inscriptione habita subtus Altare; dictumque fuit dictum Julianum id opus peregrisse una cum Alamanno de Manninis, cuius sunt haeredes Antonius Franciscus et eius frater de Manninis. Fit festum Divi Antonii Abbatis ex consuetudine, et devotione dictorum de Manninis, qui usque modo unicam Missam celebrari fecerunt ea die. At in posterum dictus Antonius Franciscus nunc pro tunc se obligavit tradere quotannis sextaria tria frumenti rectori pro tempore, qui teneatur eius expensis huiusmodi festum solemniter habere, presentibus quamplurimis testibus.

Visitavit Altare sub titulo S. Jacobi Apostoli erectum a Pasquino quondam Dominici haerede Antilii Casabianca usque de anno 1629 ut constat ex litteris impressis in lapide ex cornu evangelii. Icon exhibet Divum Jacobum et alios sanctos Dei, ex cuiusdam torrentis inundatione ita deformatos ut eorum vestigia comprehendere non possint; coeterum satis ornatum. In mensa altaris sunt sex candelabra ex auricalcho prout crux, vetusta satis tabella Sacri Convivii, et deficientibus consuetis tabellis, operimentis et tela cerata in sacro lapide. Non confertur in titulum, sed adest onus celebrandi semel in hebdomada et Anniversaria duo cum Missis triginta pro quolibet ex dispositione Antilii Casabianca, qui dicitur reliquisse annuas libras 40. Eiusque est haeres Domina Maria de Punctis uti uxor quondam Domini Anastasii de Adessis haeredis dicti Casabianca. Et defecit in curanda satisfactione huiusmodi oneris pluribus abhinc mensibus, licet Dominus Abbas de Federighis asseruerit se uti arbitrum laudasse eandem Dominam Mariam esse debitricem R. P. Petri de Blanchis economi antecessoris pro celebratione huiusmodi. Tredecim sunt monumenta in ecclesia interiori pertinentia ad diversas personas particulares. Adest suggestum, in quo concionator a Comunitate conductus concionem habet quaque die Dominica tempore Quadragesimae, expensis quae ex elemosinis in hac ecclesia recollectis retrahuntur. Oculi duo ecclesiae tela clauduntur, vel vitro. Restauranda tecta et parietes a parte evangelii ne decidat pluvia per quam marcescant parietes. Hic occurrit commendanda summo opere pietas Reverendi Domini Horatii de Federighis qui sponte promisit, servabitque inviolabiliter, totius ecclesiae instaurare tecta. Coeterum pavementum, muri etc. bene se habent. Una est sedes confessionalis in qua desideratur omnia pro aliis ecclesiis recensita. Vidit Corum quod inservit pro Sacristia, et Campanile; et in eo est positum armadiolum quod amoveatur

Fenestra a latere epistolae tela claudatur. Duae sunt campanae in campanile, et in pulsationibus eisdem servatur ordo.

Confratres Societatis huius loci processionaliter incedunt die prima post Pasca Resurrectionis; quae die Veneris Martii, et quaque die Dominica tempore Quadragesimae pia ministeria in hac ecclesia peragentes. Die 21 dicti summo mane visitavit admodum reverenddm dominum Bartholomaeum de Jubileis, qui die 25 augusti anni 1604 in civitate Narniensi eius patria ortus fuit ac renovatus in ecclesia cathedrali dictae civitatis. Defunctis Luca Antonio eius patre, et Fulvia eius matre unum habet superstitem fratrem nomine Paulum, qui cum uxore et octo filiis, quorum duo sunt foeminae, in civitate Narniensi vitam ducit. Fuit ab Ill.mo D.no Bucciarelli Episcopo Narniensi promotus ad sacrum praesbiteratum ordinem aetatis suae annorum 25 circiter vigore Brevis Apostolici obtenti ~~xxxx~~ quoad extra tempora, ut asseruit, non habens litteras patentales, sed tamen testimoniales, ex quibus se esse constitutum in huiusmodi sacro ordine apparet. Fuitque promotus, ut putatur, ad titulum patrimonii, sibi a dicto Domino suo patre constituti in bonis positus in Comuni Narniensi, quibus tamen renunciatis ad favorem suprascripti eius fratris, et pariter canonicatui in illis partibus a se possesso ad favorem eius nepotis, provisos enim erat de annua pensione sibi reservata auctoritate apostolica in summa scutorum 70 monetae florentinae super fructibus ecclesiae parochialis sub titulo S.Hilarii de Bibbona ad quam fuit institutus 40 abhinc annis circiter, sed illam renunciavit ad favorem D.Horatii de Federighis cum reservatione dictae pensionis, et cum conventionem regressus ad ecclesiam in casu non solutionis eiusdem pensionis; quo casu dato, obtinuit de anno 1676 regressum ab Ill.mo D.no Auditore R.C.Apostolicae, sed cum preces subreptionis vitio laborarent (expressit enim dictam ecclesiam possideri a dicto Domino de Federighis, quam tamen ipse renunciaverit et eadem ecclesia erat vacans) ideo ab admodum rev.do d.no Vicario Generali Capitulari obtinuit litteras patentes economatus, quarum vigore regit hanc ecclesiam, ut ex iuribus, ad quam residet et iugiter domi canonicali positae in hoc loco. SS.ma Sacramenta ministrat de per se, quando potest, saepissime enim febre laborat, et aetate gravi est detentus nullusque, prout asseruit, ex hac vita decessit sine praevia illorum sumptione. Animae ad Comunione numero 100 circiter. Minoris vero aetatis quantae sint ignorat, apparet tamen ex visitatione peracta de anno 1674 animas communicandas esse numero 150, et minoris aetatis numero 50.

Adsunt praeterea quidam Graeci, vulgo dicuntur Mainotti, quorum nonnulli (annuente Papa) fidei professionem annis elapsis emisissent et hi iuxta eorum ritus in Oratorium parum distant ab hoc castro se exercent in spiritualibus. An autem bene vivant, ignorat. Cura se extendit quinque milliaribus circiter. Domus omnes positae in castro, praeter quattuor, sunt numero 55 circiter, et totidem familiae nullis fluminibus interpositis quae transitum impediunt circummeundo limites huius ecclesiae parochialis. Non adsunt publici peccatores licet quidam homo nuncupatus "il Caporale" ob commercium carnale pluries habitum cum muliere Camilla Papia, quae, sicuti dictus homo, est in statu libero, non fuerit admissus ad Sacram Sinaxim; audivit tamen Dominus Plebanus istos separatos nunc esse, et quaerere matrimonio rite se coniungere; reliqui omnes paruerunt praecepto de se comunicando in Pascate. Instruit pueros prima vice comunicandos et habet obstetrices instructas. Doctrinam christianam de per se pluribus abhinc mensibus non docuit pueros utriusque sexus, sed per rev.D. Victorium Gasparruccium, cum ipse in lecto morbo infectus iacuerit Impositumque est illi quatenus per dictum rev. Victorium, qui modo infrascripto eligetur pro regenda hac ecclesia curet ut doceantur singulis diebus dominicis et festivis ex praecepto mane facto eos qui sunt pecoris custodes, et vespere illos qui in castro commorantur. Rarissime habet concionem ad populum stante eius infirmitate. Habet benedictionem palmarum, candelarum et cinerum. Candelas autem hoc anno non distribuit, impositumque est illi quatenus distribuat tempore Hebdomadae Sanctae proximae. Quotidie non celebrat stante infirmitate suprascripta. Ostendit Libros Matrimoniorum Baptizatorum et Defunctorum non descriptos ad formam. Nullum ius seu praerogativam amisit. Non descripsit celebrationes Missarum, ex quo se subiecit poenae inflictae a Constitutionibus Synodalibus; fuitque illi impositum quatenus in posterum describat, alias etc. Offert pro populo omnibus diebus dominicis et festivis ex praecepto. In materia sponsalium et funeralium bene se regit. Non habet Librum introitus et exitus bonorum dictae ecclesiae, quem habebit, et quotannis de mense Decembris ad Dominationem Suam Illustrissimam transmittet, nec locabit in afflictum bona dictae ecclesiae nisi praevia licentia obtenta a B.S. Ill. ma Redditus dictae ecclesiae, qui ex decimis et fructibus bonorum percipiuntur annuatim ascendunt ad scutos 90 circiter. Inventarium bonorum immobilium non exhibuit. Venationi non incumbit, canes

venatorios non alit, ludis non vacat. Habet Sacrum Concilium Tridentinum illiusque et aliorum studiis operam dat. Vestem talarem non deferens quando est in castro, quod illi iussum est adimplendum.

Io Bartolomeo Giubilei prometto l'osservanza de' sopradetti precetti, et in fede, mano propria.

ORATORIUM SANCTI ROCHI

Visitavit oratorium sub titulo S.Rochi prope et extra dictum castrum in quo Graeci nuncupati Mainotti congregantur et secundum eorum ritus in spiritualibus se exercent. In cuius Altare adest imago Beatissimae Virginis cum puerulo Jesu, prout adest crux lignea deaurata cum pede marmoreo, duo instrumenta ferrea pro accendendis luminibus. In tobaleis et ornatu male se habet. Attenta paupertate eorundem fuit impositum Domino Plebano de Casale presenti quatenus quantocius provideat hoc Altare de duabus tobaleis pro una tantum vice, et Ill.mus Dominus mandavit Rectori Ecclesiae B.M.V. Pietatis quatenus consignet duo pallia quae satis perpulcra diversi coloris ac deaurata fuerunt tradita Papa Teodoro Melesino, ipseque rector alia sacra indumenta providebit. Per Dominum Franciscum Scotti interpretrem auditum fuit eosdem Graecos consuevisse recitare duabus horis ante^{diem} Mattutinum, quod habent domi diebus ferialibus, et in hoc Oratorio diebus festivis, in solemnitatibus vero media nocte. Sacrum habent mane rarissime. Fuit impositum quatenus habeant diebus omnibus mercati de Requie, et Dominicae pro vivis nec non omnibus diebus festivis ex praecepto, servato ritu, aliisque servandis, et praecipue Sacrum non incipiatur nisi praesentibus omnibus Graecis relicta cura dicto Domino Francisco. Vesperae habentur de more omnibus diebus dominicis et festivis. Tenentur communicari quater in anno et alia quae ex relatione extendenda per D.Franciscum apparebunt. Sunt numero 39 comprehensis omnibus, quorum nomina in eadem relatione apparebunt. Ill.mus Dominus curabit ut de omnibus sacris utensilibus provideantur.

ORATORIUM SANCTISSIMI SACRAMENTI

Visitavit oratorium sub titulo SS.mi Sacramenti conterminum Sacristiae ecclesiae parrochialis, in qua describuntur fideles utriusque sexus. Non habent capitula seu constitutiones; non fuerunt electi anno praeterito officiales praeter camerarium qui in folio per eum retento describit introitum et exitum et reddit rationem deputatis a Societate Sed quia pluribus abhinc annis id non fuit sequutum, videbitur quid melius erit agendum cum asseratur camerarium consuevisse reddere

rationem Magistratui Dominorum Novem. Fit festum SS.mi Corporis Christi cum primis et secundis Vesperis Missaque decantata, ac cum offitio defunctorum die sequenti, erogata domino plebano summa librarum 7 pro plebano et librarum 2 cuicumque sacerdoti celebranti.

Ex consuetudine adest onus celebrandi semel in ~~mensis~~ eddomada cum elemosina annua scutorum quinque, qui fuerunt soluti domino de Jubileis qui celebrationem Missarum non descripsit. Tenetur ex consuetudine parare duodecim lumina, comprehensis intortitiis, et duas laternas portatiles pro associando BS.mo Viatico ad infirmos, et distribuere plura lumina excedentia numerum. 12. pro Sepulchro quando habetur die Coenae Domini. Habet nonnulla bona quae in inventario describentur. Induunt saccum albi coloris, licet omnes illud non habeant, prout desideratur. Nomina confratrum sunt descripta in tabella pensili, et sunt admodum pauci. Congregantur die secunda Pascatis Resurrectionis DNJC, qua die eliguntur officiales. Tempore Quadragesimae consueverunt accedere ad Divinas Praeces recitandas, sed id exolevit ob exiguum numerum confratrum. Duo sunt sepulcra in Societate interiori in quibus separatim cadavera confratrum et consororum humanantur.

Icon repraesentat Christum Dominum a Cruce depositum, ornamentum illius ligneum est, at aliquantulum auro litum, prout sunt sex candelabra et crux. Sacrum Convivium male se habet. Deficiunt tobaleae, tela cerata in sacro lapide et consueta operimenta.

Corpus ecclesiae est humiditate praepollens. Restauretur tectum, et parietes revideantur, duaeque fenestrae tela operiantur.

[SOCIETAS VISITATIONIS B.M.V.

Visitavit aliam Societatem sub titulo Visitationis B.M.V. et sanctorum Rocci et Sebastiani, in qua describuntur utriusque sexus fideles. Eliguntur officiales die secunda Pascatis Resurrectionis. Prior ad praesens est D.Franciscus Scottius, camerarius vero D.Horatius de Gardinis qui quotannis tenetur reddere rationem suae administrationis duobus electis a Societate. Induunt saccos cerulei coloris cum cingulo albo. Habent capitula approbata, quae tamen non fuerunt visa, cum sint penes Dominum Abbatem de Bederighis, qui illa ostendet. Redditus sunt exigui, et apparebunt in inventario quod ostendetur. Confratres processionaliter incedunt quaque die Domina Quadragesima ad Ecclesiam Beatissima Virginis nuncupatae "della Pietà", et quaque die Veneris Martii ad dictam Ecclesiam, et aliam nuncupatam "de Magi".

Fit festum Visitationis B.M.V. cum tot Missis, comprehensa decantata,

quot sacerdotes haberi possunt, erogata ob id summa librarum *6.
Fit festum S. Sebastiani iuxta modum qui servatur in festo Visitationis
Et haec ex consuetudine maxime cum Comunitas huius loci elargiatur
occasione dicti festi S. Sebastiani libras 7 huic Societati, quae
distribuit sacerdotibus libras 6 suprascriptas et libram 1 pro
assignatione cerae. Quaque die tempore Quadragesimae congregantur ad
recitanda divina officia. Duo sunt sepulcra in pavimento Societatis
in quibus separatim humantur cadavera confratrum et consororum.
Icon Altaris, perbelle ornati, exhibet. in medio Beatissimam Virginem
Assumptam, a cornu evangelii Divum Sebastianum et a latere epistolae
Divum Roccum. In mensa illius 4 sunt candelabra ex auricalcho et
totidem flores, crux autem est lignea. In Sacro Convivio et reliquo
ornatu bene se habet; tobaleae, tela cerata et duo operimenta deficiunt.
Corpus ecclesiae in omnibus eius partibus bene se habet. Sacra indumenta
necessaria pro Missae celebratione asservantur in Sacristia dictae
Societati contermina bene se habent praeter Missale quod una cum planeta
nigri coloris provideatur; ac libri pro recitandis divinis officiis
religentur. Duae sunt campanae in campanile ad populum convocandum.
Tria alia sunt sepulcra quae an sint propria huius Societatis
seu ad ullos parochiales pertineant ignoratur.
Stante exiguitate numeri confratrum utriusque Societatis erit
animadvertendum an possit fieri earum aggregatio.